

gratum iri. Ex ejus edicto sepulcrum reparatum iterum, paulò post est ex divino jussu dissipatum. Quod cum compertum foret Episcopo, ille superius edictum iteravit; ejusque edicto populus iterum obtemperavit. Sed in hoc Episcopus non notandus est dementiæ; rectius quidem divinitatis ascribitur providentiæ, quæ ideo eos aliquantulum dubitare permittit, ut per efficacius signum, & ab illis, & nobis omne dubium absterferit.

*Cap. V. Bisio Episcopus monetur miraculo levare corpus S. Mainulfi è tumulo.*

Igitur in eodem tempore, *B. Mainulfus* Mainardum quendam Presbyterum admonuit in visione, quatenus Pontificem incusaret super sua transgressione: Presbyter autem divinæ admonitioni timorem præponens Episcopi, nusquam tulit pedem. Sed vir Dei iterum secundo, sicut prius, Presbyterum admonuit; Presbyterum autem sicut prius, iterum timor prohibuit. Tandem & tertio ei apparuit, ejusque mollitiem & foecordiam accusavit. Et quia cum æternæ voluit ultioni eripere, noluit dilectum ejus hic impunitum dimittere: sed minatus est ei apertis oculis absentiam videndi, ejusque reliquit arbitrio, an mallet cæcus vivere, an legationem absolvere. Qui expergefactus, nimis agrè tulit, quod imago somniorum nihil ei mentita fuit. Tamen quia cæcitas ei inimica, familiaris fuit, nequaquam iter distulit: sed ductore advocato, & reliquo itineris supplemento parato, iter expedivit, comite scilicet du-